




DISPUTATIO METAPHYSICA
 De
VERITATE
 TRANSCENDENTALI,

QUAM
 Favente Veritate Independente
 PRÆSIDE
 RECTORE MAGNIFICO
 VIRO
Excellentissimo atq; Praclarissimo
 DOMINO

M. CHRISTIANO TRENTSCHIO,
 Logices & Metaphysices Professore Publico
 celeberrimo, Dn. Præceptore, Hospite, ac stu-
 diorum suorum Promotore Maximo omni obser-
 vantia cultu devenerando, honorando
 amando.

*Publico ac Placido Eruditorum exa-
 mini subjicit*
 GEBHARDUS THEODORUS Meyer/
 Hannoveranus.
Ad diem 5. Maii in Lyceo Majori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
 E chalcographeo Johannis Röhneri, Acad. Typogr,
 ANNO M. DC. LII.



J E S U S!

Thesis I.



Non solum juvare possessionem, nec in ludis olympicis formosissimos coronari sed qui strenue dimicant ex prisca Romanorum consuetudine *Piccol grad. 9. Ph. mor. c. 13.* asserit. Quapropter, cum nuperis hisce diebus Excell. Dn. Præses docta eaque publica voce viam disputationes conscribendi monstravit, non malè meis Musis consulere videor, si ad præscriptam methodum aliqualem disputationem confecerò, eamque Sapientiæ studiosis Socraticâ libertate examinandam excutiendamque proposuero. Verum cum animus noster in subtilitatum apparationibus non debeat cum crassis atque plebeis *forâescere Scal. exc. 12. f. 2.* adire hortos atque amœnitates Sapientum *exc. 307. f. 12. & breviter, ut in Lyceo decet exc. 256. ex flore VERITATIS animæ coronam texere instituiam exc. 307. f. 12.*

II. Quid enim delectabilius, quid desiderabilis, quid laudabilius quid admirabilis in mortalium *ἀνθρώπων* quam veritatem tenere? *Exc. D. Sebass. Th. Tr. diff. 7. p. 326.* Hæc anima Philosophiæ *Scal. exc. 3. animi pabulum exc. 148. f. 4.* hæc hominis solius sola meta est *d. caus. L. L. c. 63.* Hanc in puteo demersam quærebatur Democritus, multis præclusam difficultatibus ac perplexissimis septem Labyrinthis *Cegkii*, in ultimis rerum thalamis absconditam delirentem *Jac. Mart. diff. Log. 1.* Verum tamen si illa eruatur, solis instar, cum primum supra Horizontem ingenii nostri ascendit, radios suos in remotissimas orbis Philosophici partes emittere *Th.*

Zwing. eruitur autem secundum Scal. *exerc.* ex disputationibus sicut ex collisione silicis ignis. De ea igitur agamus.

III. Agunt autem de Veritate ceteræ disciplinæ omnes, sed non uno eodemque modo. Quemadmodum enim inquit Scal. *d. canff. l. l. c. i.* natura non uno modo versatur circa res ita & ars. Nam sicut solis vis quæritum educit & firmat, aqua putrefacit, ignis consumit: sic faber eidem formam abaci imponit, statuarius Jovis, architectus tigni par item ratio in scientiis. Circa Veritatem versatur Logicus in actu directionis, quatenus mentem hominis in veritatis investigatione ita dirigit, ut modum & rationem recte eam in omni materia eruendi & in lucem protrahendi commonstret. Horn. *Log. i.* Physicus & Ethicus ut & ceteræ disciplinæ omnes in actu ut vocant exercito. Omnes enim disciplinæ exercent veritatem hoc est sua objecta vere cognoscunt & in ipsorum veritatem inquirunt. Metaphysicus eam contemplatur in actu signato, & quidem tantum eo in loco ubi eam ut unitam affectionem Entis explicat. h. e. Sola Metaphysica Veritatis formalem rationem sc. quid in se & quotuplex ea sit signat, cum in ceteris disciplinis semper supponatur quid sit veritas. Verbo, quoad materiale omnes conveniunt, non item quoad formale.

IV. Diximus Metaphysicam considerare Veritatem in actu signato, ubi tamen non excludimus actum exercitum; nam & Ipsa sic persequitur veritatem, in quantum tractat quid vere sit finitum, universale, an causa & causatum vere peculiarem Entis disjunctam affectionem constituent, an vero sint tantum quasi species principii & principati. Deinde notandum non omnem Veritatis considerationem in actu signato in specie esse Metaphysicam. Sed etiam Ethicus & Logicus tractant quoad actum signatum Veritatem. Logicus ut est disjuncta affectio propositionis. Ethicus ut est virtus & opponitur mendacio.

V. Nos hic veritatem Metaphysicam & Transcendentalem contemplaturos oportet ante certos esse, an detur talis Veritas.

Veritas. Quærere enim quid sit antequam, an sit, sciamus, nihil quærere est. Idcirco, antequam quid Veritas Transcendentis explicemus, primò omnium talem Veritatem dari ostendendum est.

VI. Pyrrhoni, antiquissimi Philosophi, omnium omnino rerum Veritatem in dubium vocarunt, sed quam falsò, omnibus palam. Nos hic saltem probanda probamus: Objectum Metaphysicè adequatum Ens in universali, ita ut præscindat à Creatore & Creaturis, esse jam supponimus, huic autem objecto Veritatis denominatio intrinsece competit, ita ut, si dico: Verus Deus, Verum aurum, idem est ac fidicerem Deus, Aurum, nam quicquid non est verus Deus ne quidem est DEUS, & quicquid non est verum aurum ne quidem est aurum. Patet ergo dari Veritatem transcendentalem, quia aliis aliquid esset & non esset.

VII. His ita positis naturam Veritatis potiori cura excutiamus oportet. Veritas autem quia est ex eorum numero quæ *πολλαχῶς λέγονται*, venit hic primò evolvenda, *πάν γὰρ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσάφες* ut ait Arist. imò *τὸ μὴ ἐν ἑνὶ σημαίνει, ἀδὲν σημαίνει ἐστὶ* ut itidem ait. Significat a. (1.) veram notitiam ut *Rom. 1.* qui veritatem in injustitia captivā tenent, id est verā Dei notitiam. *Joh. 1.* Gratia & veritas per Jesum Christum facta est, id est vera agnitio Dei (2.) fidelitatem id est constantiam voluntatis in vera benivolentia & officiis amicitiaë debitis, ut in illa usitata phrasi: *Fecit tecum misericordiam & veritatem. Er hat mir alle Treu und Wohlthat erzeiget.* (3.) Dicitur Verum quod non est fictum ab intellectu sed habet veram ac realem essentiam. (4.) quod est non verò saltem esse apparet, sed quod tale est quale videtur. 5. usurpatur pro re typo adumbrata; unde Antitypus dicitur res & ipsa veritas: cum typicum & verum hactenus sint opposita, quod non simpliciter unum sint. *Plur. Rev. atq. Exc. Galov. Met. div. p. 326. Kester. Met. Phor. p. 72.* (6.) sumitur pro veritate doctrinae (7.) pro veritate justitia de quo Aristot. *l. 4. Eth. c. 7. (8.)* pro veritate vitæ (9.) tran-

9. transcendentaliter pro attributo Entis, in quo significatū hic à nobis sumitur. Vide sis *Pl. Rev. atque Exc. D. Scharf. Th. Tr. disp. 7. Horneium p. m. in civ. doct. p. 418. 419. Flacium p. 1259.*

VIII. Huc pertinent nominales distinctiones Veritatis, quarum est in Incomplexam & complexam. Complexa est propositionum, syllogismorumque veritas, quando nimirum rem dicit uti est, consistitque in compositione & divisione terminorum simplicium, ita ut componat componenda, id est, affirmet affirmanda, & dividenda dividat, id est, neganda neget. Affirmatio enim componit, negatio dividit. Affirmat autem affirmanda quando termini (prædicatum & subjectum) ita combinantur, prout extra mentem sunt connexti; negat autem neganda quando terminus unus ab altero (prædicatum nimirum à subjecto) removetur ita, ut extra mentem à natura à se invicem removetur. Hanc Suarez *disp. 8.* vocat Exercitam; item Formalem, cum Veritas formaliter dicatur esse in compositione & divisione. Appellatur alias Veritas judicativa & iudicii, quatenus peridiscursum judicatur de Veritate. Item Affectus orationis apud Scal. *exc. 307. f. 27. p. 976.* dependens ex significatarum rerum dependentia. Item Logica, pertinet enim directe ad Logicam, quæ est discursiva, huc saltem indirecte. De compositione & divisione quæ notantur vide apud Jacob Mart. *Exc. Met. l. 1. exc. 16. th. 2.* Et huic Veritati opponitur Falstas quæ consistit in compositione & divisione intellectus. Quando nempe mens aliter res componit, atque sunt extra mentem juxta suam naturam, tum illas componit contra naturam, & ita falstas confurgit in mentis operatione complexa. Incomplexa est simplicis apprehensionis, estque quadruplex 1. *Ipsius rei*, quæ quodvis Ens in suo esse est verum. 2. *Conceptuum*, quando conceptus talis, qualis res ipsa cujus conceptus est. Nihil enim debet esse in conceptu, quod non sit in ipsa re, licet non omne quod sit in ipsa re, statim sit in conceptu. 3. *Vocum*, quando significant illud quod significare debent. 4. *Literarum* quando illud literis declaratur; quod est vere in re.

IX. Veritas porro alia est Logica, alia Ethica, alia Meta-

phy-

physica. Hanc infra pensitabimus. Illa est congruentia verum & verborum nullo respectu ad proferentem habito. Patet facile hanc quoque non divisionem strictè ita dictam, sed saltem nominis distinctionem esse. Nam non omne quod Metaphysicè est verum, statim verum est vel Logice vel Ethice. Agimus autem hic de Veritate Logica & Ethica indistincte, saltem, ut eo magis innotescat natura Veritatis nostræ ex oppositis, cum directæ earum tractatio pertineat ad Logicam & Ethicam. Veritas igitur Logica est, quando Judæus Apella jam Messiam venisse profiteretur, sed non est veritas Ethica, quia hoc ipsum non congruit cum ipsius mente, cum lingua proferat, quod minime in scrinio cordis. Veritatem itaque Logice loquitur, qui dicit ea, quæ re ipsa ita sese habent, sive is qui ea profert consentiat; sive non, hoc enim nihil derogat veritati quicquam; Vera verò loquitur Ethicè, qui dicit ea, quæ cum re & animo ipsius conveniunt; Imo etiam ille, qui si non rebus consentanea dicat, saltem ita loquatur, ut sentiat.

X. Huic affinis est distinctio in Veritatem in Essendo s. *objectivam in cognoscendo s. conformativam & in significando s. significativam.* Illa est ipsius rei veritas & deinde describenda. Ista est adæquatio vel conformitas rei & intellectus. Hæc est conformitas signi ad signatum. Notamus autem nos hæc non intelligere adæquationem quantitativam sed correspondentiam, nec conformitatem essentialis sed representationis. Sic si intellectus hominem concipit ut rationale animal, conformitas dicitur esse & adæquatio inter cognoscentem & cognoscibile, quia revera cognoscentem concipit cognoscibile, ut in sua natura est: Sed hæc res ipsa jubet nos paululum immorari; cum hæc duo discutienda omnino veniant, quæ pharmon ingenii rubigini, animo suavissimum cibum præparabunt, qui nihil aliud quam cognitio veritatis, ut ait Lactantius. Primum est an Veritas in Essendo & Cognoscendo sint distincta. Secundum an Veritas in cognoscendo sit in omnibus mentis operationibus.

XI. Primum quod attinet, dicimus omnino Veritatem in

in

In essendo & cognoscendo distinctas esse species, idque probamus partim rationibus partim autoritatibus: Rationes sunt: I. Quia separari possunt, salva unicuiusque essentia. Argumentamur: Quaecunque separari possunt, salva unicuiusque essentia, illa sunt distincta. Quae enim quoad essentiam idem sunt, separari nequeunt, quia Essentia non recipit magis & minus, aut tota abest, aut tota adest. Unde Scal. Essentiale separatum ab eo cuius est essentiale, peius est idea Platonica. Atque Veritas in Essendo & cognoscendo separari possunt. E. Propositionem probatam dedimus. Assumptionem probamus. Quia quando inspicias in tuo corde dixit: Non est Deus *Psal. 14.* tum cor *συνωδός* est verum, quia est Ens: Ens autem & verum convertuntur ut deinceps patebit; sed *πρωτινός* est falsum. Potest igitur quid esse verum in essendo, & falsum in cognoscendo. H. Quia Veritas in Essendo stare potest cum Falsitate. Argumentamur: Quorum unum stare potest cum opposito alterius, illa sunt distincta. Atque Veritas in Essendo cum opposito Veritatis in cognoscendo, quod est falsitas, stare potest. E. Major sua luce radiat; fundatur enim in primo principio. Sic quia Liberalitas stare potest cum opposito Modestiae, nempe cum Ambitione eo ipso à Modestia distincta esse declaratur. Minor facilis probatu est. Sic iudicium Anaxagorae rivam atram esse iudicantis quoad essentiam verum fuit, tamen quoad cognitionem fuit falsum. Autoritates sunt. Pl. Rev. 207; DD. Scharffii p. 399. Th. Tr. Calovii Suarezii & aliorum. Vani igitur sunt ii & minime admittendi, qui stentoria voce hanc distinctionem vanam & minime admittendam proclamant. Falsas autem fovent hypotheses, nimirum Veritatem non esse in rebus (2.) Res esse veras per denominationem extrinsecam quod falsum, quia veritas rei intrinsece includit Entitatem, ejus, quo magis enim res habet de Entitate, eo magis habet de Veritate. Destructis his fundamentis, superstructa corrunt. Manet igitur nostra sententia salva.

XII. Secundum quod concernit, paucis etiam id perstringemus. Diximus Veritatem in cognoscendo esse adaequationem

nem intellectus & rei. Ex quibus patet, objectum esse rem cognoscibilem; Subjectum & quidem inhaesionis esse intellectum, cujus triplex est opus. Primum, cognitio rerum simplicium, ut Leonis. Secundum ubi conjuncta cognoscit: e quibus confiunt, quas nostri vocant Propositiones; Ciceroniani, Effata. Hanc actum iccirco nostri barbari complexum appellant: ut homo est animal. Tertium est cum his ita conjunctis adjungimus alia: ut ex ea compositione aliquid aliud educamus hanc dicitur ratiocinatio. Hanc nostra fecimus è Castalidum fonte, Scal. exc. 107. f. 2. inf. Quaeritur jam, cum Veritas haec sit in intellectu; an & in omnibus ejus operationibus? De secunda & tertia manifestum est; De prima dubitant multi, iique Aristotelem in suam sententiam pertrahere conantur, sed fallunt & falluntur. Aristoteles enim iis in locis simplici Enti non simpliciter derogat veritatem, sed certum modum, nimirum detrahit ei veritatem complexam. Fit igitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Aristoteles loquitur *τὸ πρῶτον*, hi ipsi autem *ἀπὸ τῆς*. Notionibus autem simplicibus suam competere veritatem probamus. I. Ut unumquodque est Ens, ita est Verum; Unumquodque est Ens antequam vel componatur vel dividatur. E. II. Cui competit definitio eidem & convenit definitum *ἐνδὲ λόγῳ*. Definitio enim & definitum *αἰετὸν* sūnt Scal. l. 3. c. 67. & quod definitum significat, id definitio explicat. Jac. Mart. Inst. Log. p. 95. Atque primae intellectus operationi competit veritatis definitio. E. & definitum & per consequens Veritas. vide Jac. Mart. in Exc. 16. Th. 11. p. 482. in pr. III. Propter unumquodque tale est illud magis tale est. Atq; in secunda & tertia mentis operatione est veritas propter primam. E. Major patet. Minor est Jac. Mart. in Exc. 16. Th. 3. quam ita probat p. 489. Quod per intellectum exercitum in Enunciatione pronunciat, & copulatur, id simplici primum conceptu fuit apprehensum illicque intellectus conformatus, alias de illa affirmari nihil posset. Plura vide l. c. IV. Si non datur Veritas in conceptu simplici, non etiam datur in composito. Quicquid enim alicui composito tribuitur,

B.

id

id ei propter simplex tribuitur. Atque conceptui composito veritas tribuitur. E. Simplex enim, est causa compositi, quicquid enim est in causato, fuit ante in causa. V. Quicquid dicitur de toto illud à partibus accipit, quia partes sunt causae totius. Atque de toto nempe de terra mentis operatione dicitur Veritas. E. Prima autem mentis operatio ad secundam, secunda ad tertiam sese habet ut pars ad totum. VI. Si non daretur veritas in conceptu simplici, omnes res non erunt verae, & sic erunt & non erunt, quod quam absurdum, quis videt. Stat igitur firmum, Veritatem in conceptu simplici dari, id quod erat concludendum.

XIII. Veritas in Cognoscendo rursum est duplex, *Alia sententiarum*, quae est ipsarum rerum veritas, in quibus fundatur, & solet dividi in Theologicam & Philosophicam. Theologica dependet à fide & revelatione. Philosophica à lumine rectae rationis. Ubi notandum tamen volumus, hanc distinctionem non esse inter species oppositas. Hac enim ratione distinguit quoque posset ait Cl. Gutkuis, inter veritatem fabrilem, futuriam & fertoriam, sed fit saltem gradus veritatis, ratione objecti. *Alia Connexionum*, quae est apta & conveniens terminorum dispositio secundum regulas Logicas. Plura vide apud Exc. D. Scharf. *Th. Th. disp. 7. p. 377. seqq.* Usus autem hujus distinctionis apud Exc. Calov. *in Theol. natur. p. 187.*

XIV. Haecenus de Veritatis distinctionibus nominalibus, quas omnino adduxisse expedit, tum memores illius dicitur: *προς το ὁρθως διδασκων, δεῖ πρώτων ἐρεταζειν τὰ ὀνόματα*, tum quia convenientiam & proportionem habent cum hac nostra Transcendentali; tum ut facilius constare posset, quid sit veritas, quae proprietas Entis dicitur. Non autem directè has hic tractavimus, sed saltem indirectè; quod notamus contra Timplerum qui reprehendit Suarezium *l. 2. Met. c. 8. qu. 3.* quod solam Veritatem in Essendo ad Metaphysicam retulerit, & non enumeratas distinctiones omnes. Sequitur jam Veritatis transcendentalis tractatio essentialis, in qua pluribus inquiremus.

XV. Cum

XV. Cum omnis, quae à ratione suscipitur de aliqua re disputatio debet, à definitione proficisci, monente Cicerone. *l. 1. Off.* quae est lampas, quae discutitur, quicquid est caliginosum in quaesito, ideoque Veritatem statim definiemus. Definitio autem omnis è prædicamentorum sumenda est classibus. Inde enim petenda genera, inde differentiae, quae essentialiter definitionem constituunt. Quia autem Veritas aequè late patet ac ipsum Ens, idque propter transcendit omnia prædicamenta, non debemus hic expectare Logicam definitionem constantem vero genere & differentia. Damus tamen hanc qualemcumque definitionem: Veritas est affectio unita Entis, consistens in conformitate rei cum intellectu divino. Singula verba suum obtinent pondus, quod pensandum.

XVI. Dicimus Veritatem Affectionem esse. Ubi notamus Affectionem hic intelligi transcendentalem, non prædicamentalem. Haec enim realiter ab eo cujus affectio est, distincta est, quod de nostra dici nequit. Transcendentalis estque in sua præcisa formalitate accipitur quatenus affectio dicitur tributum, quod rem aliquam proximè insequitur, eamque denominat, & cum eà convertitur. Conditio autem ea, ut distincta sit affectio ab eo, cujus est affectio, saltem est materialis, & non requiritur ad affectionem, sed ad affectionem prædicamentalem. Quod autem Veritas sit affectio sic probamus: Posita definitione ponitur definitum. At Veritati definitio affectionum Entis competit. E Major pater. Minor probanda est. Veritas autem est conceptus communissimus, ipsum Ens proximè consequens, & recipioce de non inans. Deinde & omnes conditiones Affectionum Entis ei competunt. Materialiter namque & à parte rei, cum Ente profus idem est, ita namque ipsam Entitatem intimè imbibit, ut sine ea nec cognosci, nedum esse queat. 2. Formaliter ab Ente differt, quia concepto Ente non statim concipitur veritas. 3. etiam cum Ente recipitur. Dicimus *Unitam*, quia simpliciter & solitariè de Ente dicitur, & cum eo in sensu unito convertitur, tam conversione simplici quam per contrapositionem. Di-

B₂

ci.

cimus enim Omne Ens est Verum Et Omne Verum est Ens.
Et Quicquid non est Verum, non est Ens.

XVII. Additur *Ensis*. Hoc enim quia adequatum ob-
jectum primæ Philosophiæ, omnia ad id referenda sunt. Debet
autem Ens hic sumi non idealiter, abstracte & in suppositione
simplici. Alías enim sub Ente non possem subsumere: ho-
mo, quia Ens, est Verus, hoc ipsum non admittit suppositio
simplex, quæ est acceptio præcisa nominis communis, pro
immediato suo significato, non pro inferioribus, sive iis, quæ
mediate significat. (Horn. dial. l. 2. c. XI. p. m. 120.) & nulla
admittit signa. Ita non recte dicimus: Omne Ens est Ve-
rum; Sed restrictè & in suppositione personali (quæ est ac-
ceptio nominis communis pro mediatis suis significatis, sive
inferioribus, in quæ communis natura per signum aliquod
distribuitur. sic recte dico; Homo, quia Ens, est verus. Hor-
nejus l. c.) prout extra mentem habet esse objectivum funda-
mentale & in singularibus radicum est. Paucis: Veritas En-
ti competit non signatè sed exercitè considerato. Veritatem
autem Entis esse affectionem probamus: Propter unumquod-
que tale est illud magis tale est. Atque omnibus rebus veri-
tas competit, quia naturam Entis præferunt. E. Ut enim
extensio quantitatem primò denominat, corpora verò quan-
tenus quanta; sic Veritas primò Ens, & propter id, aurum,
quia Ens, denominat.

XVIII. Exprimit autem vox Entis, ipsum materiale &
subjectum Veritatis. Ut enim nullum Accidens per se subsi-
stit, sed alteri accidit, ita & Veritas quæ se habet ut Accidens.
Unde Thomas *dist. qu. 16. part. 1. art. 3.* Quamvis Ens possit
apprehendi, non apprehensa ratione veri (sc. formaliter) ta-
men è contrario non potest apprehendi verum, quin appre-
datur ratio Entis: quia Ens cadit in rationem veri, & essen-
tialiter includit entitatem ut materiale. Ex quibus duo eli-
cimus: (1.) Verum posterius esse ipso Ente, quia omnis affectio
posterior est subjecto, quod afficit. Contra Platonicos qui ve-
rum

rum prius Ente asserunt, notante Jac. Mart. *in Exc. Met. 3. 16.*
2. p. 70. (2.) Veritatem non esse Accidens. Nullum enim Ac-
cidens essentialiter subjecti Entitatem imbibit, & quoad ma-
teriale idem est cum subjecto quod tamen verum de Veritate.
Deinde Accidens componit & sic esset Ens compositum, & per
consequens etiam Deus, quod falsum. Nec valet: Veritas
aut est Substantia aut Accidens. Atque non est Substantia.
E. Accidens. Resp. 1. datur tertium scil. Modus Entis 2. Verita-
tem fundamentaliter consideratam esse Substantiam, non au-
tem formaliter, sic enim est modus Entis; quomodo nimirum
ipsum Ens in certo statu representat.

XIX. Non intempestivè hic disquiritur, an Veritas ita
naturam Entis exprimat, ut cum eo retrocurrat. Quod quia
supra affirmavimus, saltem illud hic venit probandum, idque
hoc modo: Quicquid est conforme intellectui divino illud
est verum. Atque omne Ens est conforme intellectui divi-
no, viderat enim Deus quæcumq; fecerat & erant valde bona.
E. Porro. Quicquid habet esse illud est conforme intellectui
divino. Jam omne quicquid est, habet esse. E. Omne quic-
quid est, est conforme intellectui divino, & per consequens
est Verum. Posita enim definitione ponitur definitum.
Convertitur autem Veritas cum Ente, non quidem conceptibili-
ter ita ut quando concipio veritatem, sic & Ens representa-
rem, ut nihil claudatur in conceptu Entis; quod non etiam
claudatur in conceptu Veritatis; sic enim Ens & Veritas es-
sent synonyma. Sed denominative, ratione prædicationis,
quia omne Ens denominatur Veritate: & vice versa; Omne
quod veritate gaudet, essentiam habet. Ut: Omne Ens est
verum. Et Omne Verum est Ens.

XX. Ex dictis patescit; falsum esse non neminem di-
centem; Sicut Veritas est conformitas intellectus cum re ita
falsitas est difformitas intellectus & rei. Itemque Simple-
rum qni *l. 2. Metaph. cap. 8. p. 189 & 200.* Ens distinguit in Ve-
rum & Falsum, & quando reprehendit Fr. Suarez. *qui dist. 9. f.*
2. ita ait: in rebus extra intellectum non est propria & rigorosa
falsitas, sed vocantur res falsæ per quandam metaphoram extrin-

secā denominationem. Rationis autem Timpleri sunt hæc. (1.) Quia sicut veritas est conformitas seu congruentia Entis cum suo Archetypo, & in rebus extra intellectum proprie inest: ita falsitas est difformitas & incongruentia Entis cum suo Archetypo, & non minus proprie ac veritas rebus extra intellectum inest. (2.) Quia res extra intellectum secundum id, quod est, proprie dicitur vera, & secundum id, quod non est, dicitur falsa. (3.) quia res tam incomplexa, quam complexa, alia proprie dicitur vera, alia falsa. Sed Resp. ad primam, (α.) definitionem illam veritatis falsam esse, ut infra dicemus (β) nullam esse sequentiam, nam veritas ita rebus inest ut cum eo retrocurrat. (γ) negando, aliquid posse esse difforme Archetypo suo alias enim Deus impotentiae argueretur, quod impium & blasphemum. Ad secundam. resp. negando. Non enim quod res non est ex eo dicitur falsa, immò potius invertendum, quia res id, quod vere non est, non est, dicitur res vera e.g. quia Deus non est finitus, est Deus verus, quia repugnat Deum esse, & esse finitum. Et si hæc procederent, Timplerus quoque falsus dici posset, quia non est bestia. Ad tertiam distinguendo inter denominationem propriam & metaphoricam. Et inter extrinsecam & intrinsecam. Res falsæ dicuntur improprie & extrinsece.

XXI. Dicimus portò Veritatem esse congruentiam rei cum intellectu divino. Et hæc est Veritatis formalis ratio, quâ posita ponitur Veritas, forma enim dat esse rei Alii formale rationem declarant negativè, per carentiam fictionis ac apparentiæ: ut, quando illud dicimus verum hominem qui non est pictus neque fictus. Sed quia definitio debet dicere, quid res sit, non autem quid non sit, est saltem popularis. Et si paululum altius in eam inquiramus, plane non est admittenda. Nam non omne quod caret fictione & apparentiâ illud est verum. Malleus enim quatenus malleus, caret fictione & apparentia, & tamen non est dicendus transcendentaliter verus. Accuratioer ergo nostra est, quam paucis probabimus.

XXII. Formale consistere in congruentia rei cum intellectu divino, ita probamus. I. Quodcunque dat esse,

Veritati, illud est formale ipsius. Atque congruentia rei cum intellectu divino, dat esse Veritati. E. Major patet. Forma enim dat esse. Minorem probo, quia quando concipio veritatem rei, statim mens representat ipsam congruentiam rei cum intellectu divino. Unde porro argumentamur II. Quodcunque auditâ Veritatis voce à nobis ultimo concipitur, in eo consistit formalis ratio. Atque auditâ veritate statim concipitur congruentia cum intellectu divino. E. Major fundatur in hoc, quia formalis ratio est, perquam quiditas ultimato concipitur. Minor patet. III. Quodcunque aliquid ab alio essentialiter distinguit, in eo consistit formalis ratio. Atque congruentia cum intellectu divino Veritatem à cæteris affectionibus essentialiter distinguit. E. Major fundatur in hoc: Forma dat distingui. Minor inductione facile confirmari potest. Stat ergo formale recte à nobis positum esse. Nunc exigit res, ut id declaremus.

XXIII. In illa autem formali ratione, generis rationem explet congruentia. (vel si mavis, substitue conformitatis s. adæquationis vocem Jac. Mart. *part. Met. p. 226.*) Quæ Veritate latius quid est. Omnis enim veritas congruentia & conformitas est, sed non omnis conformitas seu congruentia est Veritas. Nam & æqualitatem inter duo quanta, & similitudinem duorum qualium congruentiam quandam esse, nemo negaverit: Veritatem tamen nullus dixerit, quippe inter quæ omnis præcisa sit cognoscendi potentia. Non autem hic intelligitur, ait Fonseca *l. 4. met. item Rutgers l. 1. rest. Met. c. 15.* conformitas in Essendo, quasi intellectus quoad Entitatem conformetur & similis fiat ipsi rei, quæ conformatur. Sed in representando, idque ad intellectum divinum.

XXIV. Cum autem conformitas (quod etiam in suo significatu infert) ~~veritas~~ dicatur, (Conformitas enim debet esse inter duo Entia, ex quibus unum est quod est conforme, & alterum, cui est conforme) intelligitur quod consistat in relatione, quia respectum infert rei ad intellectum divinum. Ratio enim nostra non nude hanc relationem excogitat, sed fundamentum & occasionem relationis in Ente deprehendit

dit. Fundamentum illud est: quod Ens non solum secundum simplicem essendi rationem se intellectui representet, quatenus est id, quod intrinsecè habet esse reale; sed etiam, sub certo momento, quatenus est id, quod est conforme intellectui divino; quam conformitatem ipse intellectus non fingit, sed jam in Ente fundatam offendit; siquidem conforme est intellectui divino nobis etiam non cogitantibus.

XXV. Ex quibus haurire licet, Verum non addere Enti aliquid reale aut positivum. Cum enim conformitas in relatione saltem consistat, Veritas positivum quid Enti superaddere nequit. Et si Veritas Enti superadderet aliquid positivum, hoc ipsum positivum esset, & hoc rursus haberet Veritatem, & hæc Veritas esset positivum quid; & Ens, & sic processus fieret in infinitum. Nihil autem obstat quod veritas reale quid & positivum dicatur. Distinguendum enim est. Reale sumitur (1.) Strictissimè quomodo reale, ipsum Ens reale denotat; Positivum idem rem peculiarem dicit. (2.) Laxius quomodo opponitur Enti rationis s. ficto & positivum omni ei quod purè nihil est. In hac significatione Veritas reale quid est & positivum. Non enim à mente fingitur sed fundata est in re Veritas ergo est realis; Et si non esset positiva, ipsam Entis naturam destrueret. In altera negamus, nam Veritas non est Ens.

XXVI. Porro quodcumque alteri superadditur illud (α) est reale positivum, aut (β) negatio, aut (γ) privatio, aut denique (δ) commentitium, dicente Jac. Mart. *Exc. Met. p. 478.* At Verum, Enti non superaddit reale ut vidimus; nec negationem, quia concepto Vero, nullum concipimus negationem, sicuti Unum in suo conceptu includit negationem; nec commentitium, quod omnes concedunt; relinquitur ergo Verum, addere Enti solam relationem, quia est conformitas, conformitas autem est quædam relatio.

XXVII. Timplerus *libr. 2. Metaph. c. 8. quest. 4.* & non nemo objiciunt: Veritatem non posse esse relationem rationis: cum relatio rationis non competat rebus citra mentis operationem; Ergo quicquid rebus competit citra mentis operationem,

id non consistit in relatione rationis. Sed verum competit rebus citra mentis operationem. E. Verum non consistit in relatione rationis. Nos respondemus verbis ex Jacob. Mart. *Exc. Met. p. 479.* desumptis; Verum sumitur dupliciter (a) pro concreto, ex Ente & superaddita veritate, quomodo Ens includit, quia nulla passio Entis realiter à suo subjecto est distincta (2) pro formalitate ipsius, præcisè abstracti ab Ente, quomodo Ens non includit, cum nulla propria passio in formalitate sua subjectum habeat. Fieret enim subjecto longe nobilior & perfectior: quippe cum & ipsius subjecti naturam in se contineret, & novam insuper affectionem super adderet. His præmissis dicimus: Verum significare relationem rationis formaliter, fundamentaliter tamen sive connotativè naturam eam quam denotat. Non vero absurdum est, quod veritas tantum sit relatio rationis & nihilominus Entibus realibus etiam competat: cum rebus conveniat per operationes illius intellectus, à quo omnes creatæ res in suo esse dependent. Est igitur relatio rationis dependens non a ratione seu intellectu nostro sed intellectu divino, ideoque ei tribuitur, licet relatio nostra seu consideratio non accedat.

XXVIII. Ex his rursus elicimus Veritatem non realiter differre ab Ente, sed saltem ratione. Distinctio hic observanda: Reale quid esse; Et realiter differre. Sic Omnipotentia in Deo est reale; quod sanus nunquam negabit, & tamen non realiter distinguitur a divina Essentia. Nam nihil in Deo quod non sit ipse Deus. Ipse enim omnia, & super omnia, & præter omnia. Et omnia, ita in ipso sunt ut sint ipsum Scal. *exc. 36 §. 2. & §. 6.* Ita res sese habet de Veritate. Falsum ergo hic esse Timplerum *Met. Lib. 2. c. 8. qu. 4.* facile videmus.

XXIX. Ultimo de conformitate notamus, quod non sit extrinseca, ut putat Cajetanus 1. part. qu. 18. art. 6. sed intrinseca. Nam qualis veritas talis quoque ejus est conformitas, quia esse Veritatis in conformitate consistit. At veritas non addit Enti denominatione extrinsecà. E. Minorè probo Quicquid ab ipso Ente fluit, id debet esse ei intrinsecum; Veritas ab Ente fluit. E. Major patet Minorè probo. Nam Veritas ab ipso Ente fluit, ita ut ei

insit, nobis nequidem cogitantibus, quæ id ipsum discrepare faciat in sua essentia à fictis. Quid? absurdi sunt qui Veritatem dicunt denominare Ens extrinsece, sic enim & non Entibus competeret, hæc enim etiam vera denominantur extrinsece. Hæc de conformitate, sequitur ut dicamus quid in nostra definitione vocabulum Rei importet.

XXX. Per Rem intelligimus, Ens reale, per se, ut id constituit adæquatam obiectum Primæ Philosophiæ, cætera quæ sub subjecto Metaphysicæ non comprehenduntur, huc non spectant. Intelligitur ergo huc Creatorem & Creaturam spectare, ubi tamen notari volumus regulam Athanasii: *αὐτὰς ἀνθρώπων παρὰ τῶν, καὶ λέγουσιν: Ἰσοπεπεισὶς δὲ νοεῖν*.

XXXI. Nunc venit expediendus intellectus, cujus facta mentio in descriptione. Diximus autem Veritatem conformitatem rei esse cum intellectu divino hanc ipsam nostram sententiam pluribus probabimus, siquidem non omnibus arridet, quicquid interim sit, nos pro libertate Philosophica hanc sententiam ratam habebimus, salva tamen Magnorum Virorum autoritate. Amicus Plato, Amicus Aristoteles, amicior Veritas. I. Quo res in esse dependet, illi etiam in esse conformatur. Atque res ab intellectu divino dependet E, intellectui divino conformatur. Nec major nec minor probatione eget, meridiana enim luce clariores sunt. II. Primum est mensura reliquorum. Atque intellectus divinus est primus. E. est mensura reliquorum. III. Mensura sit infallibilis & certa. Atque intellectus divinus est infallibilis & certus. E. *εὐδελον*. IV. In quocunque intellectu est summa & infallibilis veritas & perfectissima omnium representatio, secundum eum res dicenda veræ. Atque de intellectu divino verum est prius E. & posterius. Pluribus dabimus nostram sententiam firmam, quando deinde καὶ ἀρεῶν intellectus humani disputabimus.

XXXII. Tandem notandum quomodo se habeat illa conformitas rei cum intellectu divino. Alii dicunt esse ut cognoscens ad cognitum. Alii ut normans ad normatum. Nos nostros Doctores sequentes dicimus, quod intellectus prout ad illum conformatur Veritas ut sic, in universali, non

determinate debeat intelligi, prout est vel cognoscens vel mensurans; sed indifferenter, prout præscindit ab istis modis determinationibus cognoscendi & normandi. Exc. D. Scharf. *Th. Tr. p. 359*. Nec alienus est. Exc. D. Calovius, quando in *Miem. b. div. cap. 5. d. Verit. lb. 2. p. 325*. accurate, ut omnia, dicit: *Cæterum quando Veritas dicitur congruentia rei cum intellectu, accipiendum id de intellectu, quæ præscindit à cognoscente & mensurante, id est: veritas rerum adæquatur divina menti sive ratione cognitionis: quod tales sint res ipse, qualis est cognitio Dei: sive ratione mensurationis; quod mensura veritatis rerum sit intellectus divinus. Ideoque quicquid Verum dicitur respectum involvit essentialem ad intellectum DEI, vel quod ipsi DEI cognitioni correspondeat vel quod ab idea, quæ est in mente divina dependeat. Non enim intellectus divinus simpliciter habet sese ut norma omnium veritatis, alias sui ipsius esset norma, quod videtur inconueniens cum interveniat realis distinctio inter normam & normatum quamvis sit norma omnium veritatis participata: atamē quantum cognoscit suam ipsius veritatem, consistit in hoc omnino exactissima congruentia, in omnimoda identitate objecti cognoscibilis & intellectus cognoscens; ob quam eminentissima ratione DEO veritas vindicatur.*

XXXIII. Quanquam nostram sententiam de formali ratione Veritatis ita dedimus declaratam, tamen sunt nonnulli, qui nolunt à partibus nostris stare, sed lecessum facientes, aliud in locum formalis rationis substituunt, quos & jam lubet videre, ita ut nostra sententia magis magisque elucescat & rara habeatur. Sunt nonnulli qui formalem rationem Veritatis ponunt in segregatione ab alio, sed minus recte. Nam ut unum ab altero discrepet & segregetur potius est conditio Entis, quam ipsa Veritas Entis. Unumquodque enim per suam formam distinguitur ab alio, Forma enim dat distingui. Et si affectio esset, potius ad Unitatem pertineret.

XXXIV. Sunt & alii qui formalem rationem in propriorum essentia signorum possessione ponunt. Sed hi de Vero minus veri sunt; nam possessio in propria significatione est terminus prædicamentalis, non transcendentalis estque habitio rei, quæ omnino distat ab ipsa re, quæ habetur e.g. ipse possidet multum nummorum, ibi sane possessio nummorum non sunt

ipfi nummi. Atque sic etiam daretur compositio in Veritate, quæ tamen minime concedi debet in veritate ut sic. Et licet terminus ampliatur, tamen à posteriori solummodo Essentiam describet, non ipsam rationem Veritatis attinget.

XXXV. Inveniuntur & alii qui Veritatis formalem rationem faciunt, quando nimirum Ens Entitatem sibi debitam habet. Sic Petrus est verus homo quia habet naturam seu entitatem sibi debitam. Sed nec hæc vera est sententia de Veritate, siquidem insufficientis est, nec adæquatum Veritatis conceptum gignit. Nam in hoc conceptu nondum ultimato mens nostra circa exquirendam realissimam Veri formalitatem acquiescit: sed ulterius recte queritur; quare sibi debitam aliquid habeat entitatem. Ubi tandem ad relationem conformitatis cum intellectu divino tanquam principio cognoscen- te & normante ultimato recurrendum est, si nimirum Veritatis præcisæ & abstractæ sumptæ formalis ratio exquiratur.

XXXVI. Timplerus *Metaph. l. 2. c. 8. quest. 3.* Veritatis legitimam definitionem hanc facit: Veritas est congruentia Entis cum suo Archetypo. Per Archetypum (porro inquit) intelligo omne id cui Ens per se conforme est, sive sit intellectus sive idea divina sive ipsa natura Entis, sive aliud quippiam extra illud Ens in natura existens. Sed hæc legitima definitio esse nequit, quia juxta eam Deus excluderetur & sic non esset Verus. Plura vide apud D. Jacobum Revium in Suarez. *repurg. disp. 8. th. 25. p. 121. & 122.* cogimur enim hic brevioribus lineis agere, saltemque ipsam rem attingere. Altera definitio, videlicet Veritas est actus veri quatenus verum, idem per idem, ignotum per æque ignotum describit, atque proinde nihil docet. Nullam siquidem hic reperire licet verbum, proluxa quod non eget explicatione. At omne obscurum sui indicat correctionem.

XXXVII. Tandem deveniendum ad vulgatam hodieque adhuc usitatam sententiam eorum, qui formale Veritatis in compositione & divisione mentis constituunt. Sed hi quam longe absunt à Veritate. Nam aliàs nulla res esset vera nisi componeretur & divideretur, quod falsum, nam homo, animal, equus, adamas vera sunt, etiam si mens nunquam ea vel componat vel dividat. Valet ergo hæc sententia tantum de

Veritate in cognoscendo (quæ huc proprie non spectat) & quidem non omni sed saltem apprehensiva complexa.

XXXVIII. His ita discussis, operæ pretium esse arbitramur, si & objectiones, quibus nostram formalem rationem impugnant, inspiciamus, inspectasque diluamus. Dicunt: Si veritas esset conformitas rei cum intellectu divino, sequeretur omnes res æque esse veras, quod tamen falsum. Nam ut unumquodque est, ita & verum est, dicente Arist. *l. 2. Met. c. 1.* datur autem in Ente variatio & analogia, ita etiam Veritatis variabitur ratio, unde rursus Arist. *l. 4.* Datur simpliciter verum, quia datur magis & minus Verum. Sed distinctione tota lis componitur. Si res conferantur cum suis propriis ac peculiaribus rationibus, quæ sunt in mente divina, ut e.g. homo cum ratione hominis, Leo cum ratione Leonis, omnes dicendæ sunt æque veræ. Sed si conferantur cum rationibus, quæ sibi cum aliis sunt communes una res altera verior dici optimo jure potest. Omnes quidem res sunt æque veræ in rationibus univocis, ut homo, Leo, equus, ovis in animali; Petrus & Paulus in homine; sed non in rationibus analogis, sic n. una res altera verior esse potest. Et hoc modo verba Aristotelis sunt intelligenda.

XXXIX. Objiciunt porro si veritas est conformitas rei ad intellectum divinum, Primo Deus non erit verus, quia nulli intellectui conformis est. Sed resp. (α) Divinarum rerum ad intellectionem mentis nostræ directæ acies tam imbecilla est, quam ad Solem intuendam nycticoracis oculus, Scal. exc. 1. quapropter si humano & nostro concipiendi more modoq, de Deo quedam concipiuntur, *κρυπτός* & *ἰσοπεπτός* sunt intelligenda (β) Deus ad sui ipsius intellectum refertur, cum quo exactissime congruit quæ congruentia ita refertur ad intellectum divinum, prout seipsum manifestavit & revelavit in scripturâ, dicente Gutkio h. e. Deus ad semetipsum refertur ut cognoscens ad cognitum. Secundo. Quia aliàs res essent veræ per intrinsecam denominationem, quod quasi falsum probant (α) autoritate Gabr. Vasq. Mendozæ, Thomæ, Capreoli. (β) ratione hac: Quicquid denominatur tale, ut forma denominans sit extra id, quod denominatur id dicitur tale per denominationem extrinsecam. At res dicitur vera res

ut forma à quâ denominatur, sit extra eâ. E. res dicitur vera per denominationem extrinsecam Minorem ita probant: Quia id à quo denominatur verû, est cognitio mentis, cognitio a. mentis est in intellectu extra res intellectui objectas Resp. Supra declaratum Veritatem rei competere intrinsece, quapropter nolumus hæc hic repetere, sed rationes saltem eorum videbimus. (1.) Autoritati autoritatem opponimus nim. Exc. Scharf. Matthiæ & aliorum (2.) dicimus falsam minorem cum ejus probatione, nam res est vera transcendentaliter, etiamsi nunquam cognoscatur. Denique verba Aristotelis hic citant quando dicit: Bonum & malum in rebus esse; verum autem & falsum in intellectu, & dicunt si veritas rebus competeret per intrinsecam denominationem, male cum fecisse. Sed Resp. committi ignorantem elenchi, nam non loquitur de Veritate in Essendo sed de ea cui opponitur falsitas.

XL. Tandem ad illos devolvenda disputatio, quibus non ad palatum, quod dicimus Veritatem ad intellectum divinum esse conformandam; Quia autem parvi ponderis formant objectiones, saltem removebimus ipsum intellectum humanum; I. Nulla res in essendo dependet ab intellectu humano. E. nulla res illi conformari in essendo potest. Nam potius intellectus noster ab ipsa re dependet. Consequentia firma est, nam à quo res habet entitatem, ab illo etiam habet Veritatem, quia Entitas & Veritas convertuntur, II. In quocunque intellectu est mutabilitas & non perfectissima omnium rerum representatio, secundum eum res non sunt dicendæ veræ. Atqui de humano verum est prius E. & posterius. Mensura enim debet esse infallibilis & certa. III. Cui intellectui res conformantur ille non potest esse creatus (nullæ n. res creato intellectui conformantur) sed increatus. E. Jac. Mart. *Exc. Met. p. 491.* IV. Quodcunque est mensuratum illud non potest esse mensura ejus cujus est mensuratum. Atqui intellectus humanus est mensuratum rerum E. Major est extra controversiam fundatur enim in primo principio. Minor probatur verbis nobis in hoc adversantium, dicunt enim intellectus noster non est mensura rerum, sed res mensurant intellectum nostrum. Nec Scriptura

tura sacra hic abludit, quæ res ideo veras dicit, quia talia sunt, qualia Deus illa fieri voluit. Jac. Mart. *Exc. Met. p. 491.* Notamus hic (α) de Veritate in Essendo & metaphysica nobis sermonem esse (β) ut est affectio Entis objecti Primæ Philosophiæ.

XLII. Sequitur nunc ut paucis divisionem Veritatis subjungamus. Dividitur autem in Independentem & Dependente[m]. Hæc est vera & propria dicta divisio quia exhaurit totam latitudinem divisi. Continet Creatorem & Creaturas omnes, imo ipsum Diabolum. Est autem Independentis Veritas in ipso Deo T. O. T. M. omnis veri autore, & materialiter est ipse Deus, formaliter vero implicat relationem quandam convenientiæ vel potius Identitatis, omnia enim in Deo sunt ipse Deus. Dicitur autem Independentis Veritas quia à seipso (negative sc.) & per se ipsum vera est, & à nullo suam accepit veritatem. Ut autem Deus esse per essentiam habet ita & veritatem à se & suâ naturâ obtinet, immò ipsa magis Veritas quàm Verus Scalig. Vocatur alias Veritas primaria, prima, summa, exemplaris, divina, ἀρχαία Dependens veritas est, quæ à Summo Vero & Fonte Veritatis suam habet dependentiam. Et hoc modo omnes Creaturæ sunt veræ, nam sicut essentiam à summo Ente, ita & Veritatem à prima Veritate habent. Unde Augustin *Solil. l. 2. c. 5.* Verum est id, quod est quia tale est, quale Deus vidit ab æterno futurum. Et Alex ab. ales: Verum omne ex hoc est verum, quia aliquo modo assequitur primum Verum. Dicitur aliàs Veritas Orta, participata.

XLIII. De Falsitate nunc etiam ex communi consuetudine agendum esset, sed cum Veritati Transcendentali, quæ nostræ considerationis, nulla opponatur, nolumus de ea verba hic facere, ne falsa veris misceantur. Quapropter nostram de Veritate disputationem cum Veritate Independente ut incepimus ita & concludimus, eamque supplices rogamus ut mentem animumque nostrum aperiat ac dirigat, ut Veritatis sedulissimus studiosi, ne cum Pilato quid veritas sit, quærere cum dedecore nos oporteat, & ut in veritate veri reperiamur, in die illo, quo veritatem de omnibus pronuntiabit ipsa VERITAS, cui Laus, honor & gloria seculis nunquam desituris.

L Aus, Mejere, tibi debetur, dulcis Amice,
Dum Tu de vero dicere veni cupis;
Nec labor hic vanus, nam magna indaginis illa
Res, de qua multi plurima vana ferunt.

Dulcia sic Sophia seruat sacra mente
Docta, sit tandem premia magna feres
Villicus ut prudens maturè semina spargit,
Purgat falce sagax occat aratq; solum.
Tedia nec capiunt permagni mole laboris
Lassum, spe messis talia cuncta subit.
Huic non absimilis sanè, Mejere, videris
Nam tibi vera loquor, nomen & oman idem est.
Pergito sic studium gnauus pertexere captum
Sic Mejere metes premia larga. Precor!

Christianus Mejer, Stadâ-Brem. LL. Studios.

O Beatos ter! quibus est voluptas
Sola rimari loca celsæ quævis
VERITATIS: nam gravius quid hacce,
scire licebit?
Mentis hic norma est, studiique forma,
Præcipit quicquid, tenue, absolutum, &
Sordium purum est, animosque claro
lumine complet.
Pectore ergo hanc qui memori tuendo
Intus impressam colit, illi opima
Imminet lux, spes habitura nullo
tempore finem.
Gratulabundus fatis hinc GEBHARDE,
Differentem de Sophia colendæ
VERITATIS te celebrare digno haut
pectine possum.
Ast ut orditus, superum favore
Perge, spe freris studii secundum
Ritè portabis meritum & laboris
Præmia digna.

Johannes Bogelsang/Blek. Luneb. Ph. & Tb.